Auteur(s) : Conti, Natale

Collection Mythologia, Venise, 1567 - Livre X

Ce document a pour résumé :
Mythologia, Venise, 1567 - X [104] : De Nereo

Collection Mythologia, Francfort, 1581 - Livre VIII

Mythologia, Francfort, 1581 - VIII, 06 : De Nereo & Nereidibus *est une version augmentée de ce document*

Collection Mythologie, Paris, 1627 - Livre VIII

Mythologie, Paris, 1627 - VIII, 07 : De Neree & des Nereides *est une transformation de ce document*

Collection Mythologie, Lyon, 1612 - Livre VIII

Mythologie, Lyon, 1612 - VIII, 06 : De Neree & des Nereides *est une transformation de ce document*

Informations sur la notice

Auteurs de la noticeÉquipe Mythologia
Mentions légales

- Fiche : Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle). Licence Creative Commons Attribution – Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR)
- Images : Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ).

Citer cette page

Conti, Natale, *Mythologia*Venise, 1567 - VIII, 06 : De Nereo & Nereidibus, 1567

Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle)

Consulté le 14/01/2026 sur la plate-forme EMAN :
https://eman-archives.org/Mythologia/items/show/922

Copier

Présentation du document

PublicationVenise, Comin da Trino, 1567
ExemplaireMunich (Allemagne), Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ) , Res/4 Ant. 50

Formatin-4
Langue(s)

- Grec ancien
- Latin

Pagination242v°-244v°

Des dieux, des monstres et des humains

Entités mythologiques, historiques et religieuses

- Nérée
- Néréides

Notice créée par Équipe Mythologia Notice créée le 30/04/2018 Dernière modification le 25/11/2024

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/922?context=pdf

alius Glaucus Carystius, qui duas coronas victor è Pythiis, Octonas è Nemeis & Isthmiis reportauit, cui pater fuit Demylus à Glauco marino Deo oriundus vt ait Pauf. in posterioribus Eliacis. at nunc ex his veritatem eliciamus. fuit Glaucus vrinator peritissimus, quare aiunt hunc spectantibus Anthedoniis è portu enatasse donec ex omnium prospectu sub aqua latens in locum longinquum peruenerit, unde à nemine amplius videri posset: ibi aliquot dies commoratus multis spectantibus ad certum diem natans in portum rediuit, cum diceret se tandiu sub vndis degisse. Accedebat ad hoc miraculum quód hyeme, cum nihil caperent piscatores, ad ciues suos quoscunque illi pisces poposcissent, continuo apportabat, quos ille multum ante in hunc vsum reseruauerat. Deinde captus à quadam bellua marina cum interiisset memoriæ proditum est illum gustata quadam herba Deum marinum esse factum. alii dixerunt Glaucum vitæ pertæsum se in mare præcipitasse: alii ob amorem Palæmonis, qui cum non amplius visus fuerit à bellua aliqua marina forsasse correptus creditus est in Deorum marinorum numerum recessisse. Verum quid habet aduirabile hæc fabula cur à poetis sapientissimis hominibus celebraretur? aut quid hoc pertinet ad humanæ vitæ institutionem? Significare per hæc voluerunt antiqui nullam adeo depressam & sordidam esse hominum conditionem, quam non Dei voluntas extollere & illustrare facillime possit: cum nulla sit hominum conditio, quã Deus respiciat sine probitate, cum is innocentiam & integritatem animi tantum, at non aliud quidquam respiciat. Hunc cum diuinandi artis peritum finxerint, demonstrabant nauigandi peritum hominem futuras tempestates multo ante præuidere. at nunc de Nereo dicamus.

De Nereo & Nereidibus. Cap. VI.

NEreus vero fuit Ponti, siue Oceani & Tethyos filius creditus, vt his ait Hesiodus in Theogon.

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

> Nerea fatidicum, haud fallacem, semine Ponti
> Progenitum natis seniorem: dictus & inde est
> Ille senex. quód veridicus, blandusq; ; nec æqui
> Oblitus nouit semper decernere iusta.

Nam etiam Apollodorus lib. 1. bibliothecæ hos Ponti & non Tethyos, sed Terræ filios connumerauit, Phorcum, Thaumantem, Nereum, Eurybœam, Ceto. illum igitur & veridicum & vatem esse crediderunt, cũ Troianas etiã calamitates Paridis nuntiarit, vt ait Horatius lib. 1. Carminum in his;

> Pastor cum traheret per freta puppibus
> Idæis Helenam perfidus hospitam,
> Ingrato celeres obruit ocio
> Ventos, vt caneret fera
> Nereus fata. mala ducis aui domum
> Quam multo repetet Græcia milite,
> Coniurata tuas rumpere nuptias,

Et

Et regnum Priami vetus.

Fertur hic in mari Aegeo præcipue domum habuisse, vt ait Apollon. lib. 4.

[illegible]

Iris ait: cœloque volans descendit ab alto
Præpetibus pennis passis, pontumque subiuit
Aegeum; domus hic sublimis, & atria Nerei.

Fama est Herculem ad aurea mala Hesperidum ferenda missum, ad Nymphas, quæ in antris Eridani habitabant, adiisse, vt ex iis audiret vbi nam locorum essent illa mala aurea. Tum Hercules missus fuit ad Nereum, quem variis formis eludere conantem tandiu detinuit, vt in pristinam figuram redierit, remque indicarit. Hunc antiquissimum Deum nominauit Orpheus, in Argonauticis; 10

[illegible]

Nerea cui priscum genus est, huc ante vocamus.

Hunc mari præesse, & in mari habitare solitum, delectari choris puellarum principiumq; esse & finem aquarum, & omnes illius facultates denique ita complexus est Orpheus in hymno quodam; 20

[illegible]

Fundamenta tenens ponti, cui cerula sedes.
Quinquaginta mari in lato lætate puellis,
Formosisq; choris Nereu, venerabile numen.
Tu fundamen aquæ, tu terræ finis, & idem
Principium es cunctis.

Hunc ab vndis educatum & nutritum fuisse significauit Euripides in Iphig. in Aulide; 30

[illegible]

At non per vndis educatum Nereum
Thetidis patrem, cuiusq; ego sum filius.

Hunc eundem patrem fuisse Nereidum vocaturum ita idem testatur in eadem Tragedia;

[illegible]

Nam seu Dioscuri sedent in littore,
Imago siue Nerei, Nereidum
Qui quinquies decem chorum olim protulit.

Fuerunt enim quinquaginta Nereides vocatæ Nerei & Doridis filiæ, vt ait Hesiod. his in Theogo.

[illegible]

Nascuntur Nereo nam pignora clara Dearum,

Dori-

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/922?context=pdf

Doridis & hinc pulchræ spumosis in maris vndis,
Quæ fuit Oceano fluuio lato edita quondam.

Fuit autem Doris nerei soror. Has comas virides habere censuerunt antiqui, quare ita ait Horat. in lib. 3. Carminum;

Nos cantabimus inuicem
Neptunum, & virides Nereidum comas.

His aues Halcyones gratissimæ fuisse putabantur, vt ait Theocritus in Thesiis;

10 [illegible]

Alcyones flerent vndas atq; æquora ponti,
Atq; Eurum, atq; Notum, qui extremas suscitat algas.
Halcyones Nereiedibus gratissima proles
Cunctarum volucrum.

Scriptum reliquit Orpheus in hymno quodam in Nereides, illas in vndis ludiare, & bacchari, & tanquam lætissimos pisces huc illuc circa currũ Tri-
20 tonis præcipuè cursitare, inter quæ & illud est carmen;

[illegible]

A tergo cursus Tritonum cernere posses
Has gestire simul.

Harum Nereidum multarum nomina ita recensuit Home. lib. 2. Iliad.

[illegible]

Tum fudit lacrymas: hanc circum numina ponti
Conueniunt, quæ imas habitant Nereides vndas.
Hic aderant, glaucęq;, Thaliaq;, Cymodoceq;,
40 Nisæ, Spioq;, Thoeq;, Haliceq; decora,
Cymothoe, Actæ, Melite, cum candida Agaue,
Amphithoeque, & Iara comis in colla resutis.
Dotoq;, Protheq;, Pherusaq;, Dynameneq;,
Doris, & Amphinome, Panopeq;, & Callianira,
Dexamene, Galatea, Amathiaq;, Callianassa,
Et Clymene, atq; Janira simul, pariterq; Janassa,
Mæraq;, & Orityia genas fucata colore.
Quæq; imas habitant aliæ Nereides vndas,

verum

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/922?context=pdf

Verum multò et plures his vocatæ sunt Nereides, quæ ad quinquaginta numerãtur ab Hesio in Theogonia, q̃ ita vocãtur; Proto, Eucranthe, Sao, Amphitrite, Eudore, Thetis, Galene, Glauce, Cymothoe, Spio, Thalia, Melite, Eulimene, Agaue, Pasithea, Erato, Eunice, Doto, Pherusa, Dynamene, Nesæe, Actæa, Protomedea, Doris, Panope, Galatea, Hippothoe, Hipponoe, Cymodoce, Cymatolege, Cymo, Eione, Halimeda, Liagore, Euagore, Laomedea, Polynome, Autonoe, Lysianassa, Euarne, Psamathe, Menippe, Neso, Eupompe, Themisto, Pronoe, Nemertes. Apollodorus vero Athen. has etiam præter prædictas connumerauit libro primo; Glaucothoen, Nausithoen, Ialiã, Pionen, Plesauren, Calypso, Cranto, Neomerim, Deianiram, Polynoen, Melien, Dionen, Isxam, Dero, Eumolpen, Ionen, Ceto, Limnoream. Illæ autem omnes pulcherrimæ habebantur, quare, vt proditum est in fabulis, Cassiope Cephei Regis Aethiopum vxor cum omnes suæ ætatis mulieres se forma antecellere gloriaretur, ausa est se Nereidibus etiam præferre, quamobrem illarum indignationem in se concitauit. Illæ igitur arrogantia huius fœminæ irritatæ, temeritateque commotæ incredibilis & admirandæ magnitudinis cetum in illius regionem immiserunt, quare postea iussa est ab oraculo Andromedam filiam, quam vnicam habebat, vt à Ceto voraretur, saxo alligatã exponere. Andromeda tamen Persei virtute liberata fuit, & eiusdem beneficio ad perpetuum vitandæ temeritatis exemplum, Cassiope inter sydera relata, vt patet ex Aratæo carmine ita latine versum a Cicerone;

Labitur illa simul quatam lacrymosa requirens
Cassiepia, neq; ex cœlo depulsa, decore
Fertur: nam verso contingens vertice primum
Terras post humeros euersa sæpe refertur,
Hanc illi tribuunt pœnam Nereides almæ,
Cum quibus, vt perhibent, ausa est contendere forma.

Neque plura his ferè sunt de Nereo ac Nereidibus memoriæ tradita. Nunc sententiam antiquorum ex his exprimamus. Nereus dicitur Oceani fuisse & Tethyos filius, qui sanè nihil est aliud, quàm consilium & peritia in regendis nauibus; quippe cum peritia illa ex Oceano & vndis nascatur. Hic multas parit filias, quæ sunt inuentiones ac consilii mutationes ad nauigationem pertinentes: hanc peritiam antiquissimum Nereum vocarunt, ob vetustatem nauigationis. Eundem vatem esse tradiderunt, quia efficit in singulis disciplinis peritia vt multa euentura diuinemus & longe prospiciamus. Neque periti nauigandi quispiam putandus est, nisi qui multo ante ventorum mutationes, & signa tempestatum, tanquam ex altissima specula prouideat. Hunc Deum in varias formas se vertere finxerunt antiqui, quoniam sapientiæ est ad multas varietates, rerumque gerendarum opportunitates se accommodare. Ne quis igitur Deorum immortalium clementiam sibi deesse arbitraretur, sed vnumquenq; sua dementia perite, qui se in sæuissimas maris tempestates intruserit, nulla habita ratione illorum, quæ

Ipse pater statuit, quid mensrua luna moneret,
Quo signo caderent Austri;

Hæc dicta sunt. Idem est autem fabulam hanc confinxisse, vt summatim dicam, atque ii dicerent antiqui, esto prudens in transigendis negotiis, neque Deum incuses vbi per imprudentiam aut temeritatem tibi pericula ipse contraxeris, cum Deus prudenti cuique ac diligenti viro præsens sit. Alii tamen

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/922?context=pdf

marinam æquam Nereum vocarunt, vt est apud Ouid. in Deianira,

Respice vindicibus pacatum viribus orbem,
Qua latam Nereus Cœrulus ambit humum.

Atq; de Nereo satis dictum est, nunc de Phorcyne dicamus.

De Phorcyne, Cap. VII.

10 PHorcyo, quem Latini Phorcum etiam vocarunt, fuit & ipse Ponti siue Maris ac Terræ filius, vt testatur Hes. in Theog.

ἐκ δ' ἄρα Θαύμαντα μέγαν, καὶ ἀντίον φόρκυν
ἠδ' ἐυπρώρεον, καὶ κυανοπρόσωπον,
ἠδὲ μέγα φρόνοντ' ἐνὶ φρεσὶ Δεινὼ τε κετώ,

Hinc Thaumanta parit magnum, Phorcymq; superbum
Coniunctus terræ, & præstanti corpore Ceto.
Eurybiamq; simul, cui sunt adamantina corda.

Varro tamen Phorcynem Thosæ Nymphæ ac Neptuni filium fuisse scribit qui filias habuit, præter commemoratas superius ex Ceto, Phorcidas scili-
20 cet & Gorgones, Thoosam; quæ cum Neptuno coniuncta Cyclopem peperit Polyphemum, de quo ita scribit Home. lib. 1. Odyss.

ἀλλὰ ποσειδάων γαιήοχος ἄλλον ἄεικες
κύκλωπος κεχολωται, ὃ ὀφθαλμοῦ ἀλέσειεν
ἀνδρῶν κυκλώπων, ὃς ἀρείων ἔασι μάλιστα
τοὺς δ' ἀπολωβήσας, θόωσαν θήρη τε ἰδέσθαι
φόρκυνος θυγατηρ ἀλίου ἀρητῆρος ἀνάσσης.

Verum Neptunus qui terram verberat vndis
Succenset causa Cyclopis, quod Polyphemum
Lumine priuauit, qui robore præstitit omnes
30 Inter Cyclopas; peperit quem Nympha Thoosa,
Filia spumosi, qui temperat æquora, Phorci.

Genuit etiam serpentem, qui mala Hesperidum tuebatur, vt ait Hes.

κεκλόμενος δ' ἐλέγεια φόρκυνι φιλότητι μιγεῖσα
γείνατο δεινὸν ὄφιν, ὃς ἐρεμνῇ κεύθεσι γαίης
πόρσω ἐοῦ μεγάλου πάνυ χρύσεα μῆλα φυλάσσει.

Postremum Phorco ceto coniuncta sed edit
Serpentem magnum; qui extremis partibus orbis
Sub tellure latens semper mala aurea seruat.

Habuit etiam Scyllam filiam, vt dicemus postea. Nec plura ferè de Phorcy-
40 ne leguntur apud antiquos. Fuit Phorcys Ponti vel Neptuni ac Terræ filius, & maris Deus, quem circulatem aquarum motum nonnulli esse crediderunt, qui principium ab Oceano capit, & ab humore in terra existente. Huius vxor esse Ceto dicitur exhalatio scilicet quæ calore & radiis solis excitur: qui humor cum per æstatem grauiorem extenuatus tollitur, fit draco: prope enim tremula fit illa exhalatio & obliqua, quę per calorem solis attollitur. Alii rem hanc ad historiam transferre maluerunt, dixeruntque Phorcynem Sardiniæ atque Corsicæ insulis imperasse, qui ab Atlante nauali prælio superatus, in ea pugna submersus sit, neque vspiam postea inuentus,

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/922?context=pdf